



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

23. Novembris. Verè prudentis est, suæ ipsisu prudentiæ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices esse non possunt. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



ceptui hinc canendum est, donec foederata nobis in succursum veniat Dei gratia, quae & mentem illuminet, & inflammet voluntatem.

Nihil moderatum suadet desolatio: conturbatus quippe animus non est apertus ad exequendum munus suum, caeco ruit impetu, non quò ratio, sed quò praesens turbo impellit.

Ut procelloso mari jaciuntur anchorae, contrahuntur vela, sistitur oneraria, donec serenitas è caelo redeat: ita nihil statuendum de negotiis, dum animus, omni mari periculosiores coquens tempestates, commo- quiescat.

### 23. Novembris.

*Verè prudentis est, sua ipsius prudentia minime fidere, praesertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices esse non possunt. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.*

**N**emo sibi sufficit. Dum nascimur, alienam uti operam debemus, sine hac morituri: à primordio nempe vitae inter prima documenta scire nos natura voluit, quantum aliis debeamus.

Ille



Ille securiùs reget alios, qui seipsum regere formidaverit; sicut, qui sibi, prudentiæque suæ fudit nimiùm, nec sibi, nec aliis regendis idoneus est. Ipsa æterni Patris Sapientia sibi manu ductorem elegit in terris.

Non est gravior error, quàm credere, se errare non posse; se decipit, qui autumat se decipi non posse. Morosi suarum cogitationum defensores, quidquid ex eorum capite profilit, Palladem esse credunt, cum sæpe sit tantùm bubo.

Certus ejusmodi præsumptionis effectus ruina, quam Deus permittit, ut, qui aliter nolimus, nostro malo nimiam nostri fiduciam dediscamus. Felix! qui didicit alieno.

## 24. Novembris.

*Magis timendus est Religioso timor paupertatis, quàm ipsa paupertas. S. Ignat. apud Bartol. l. 4.*

**P**Aupere pauperior est, qui non vult esse pauper; si enim pauperi defunt multa, nolenti paupertatem, defunt omnia. Si tibi gravis est, quæ nihil habet sarcina, putasne levior erit, si te pluribus oneres?

De